

citra quodcumque arbitrium episcopis observandam præscripsit; a qua, cum agatur de gravissima pœna, ne latum quidem angue tanquam ab essentiali judiciali forma recedere eis minime licet; ita ut beneficium privati, non servato ordine judiciario, qui hodie non est alius quam ab eodem Tridentino præscriptus, possint petere restitutionem tanquam spoliati, ut in terminis de privatione beneficii probat Fagnanus ad cap. 26, *Dilectus*, i. de *Rescriptis*, n. 20 et 21....

« Nota I. Per concubinarios eos intelligi qui concubinas aut fornicarias, ad instar uxorum, sive continuo sive vage secum retinent, etiam extra propriam domum; quidquid in contrarium senserit de concubinato vago Garcias, *De beneficiis*, part. II, cap. x, n. 186, asserens concubinarios vagos prædictis pœnis obnoxios non esse, ex declaratione S. Congregationis; quam tamen Amœnus, loc. cit. n. 35, existimat fabulosam, cum de ea non constet, nec ullibi reperitur, imo nec credere potest Sac. Congregationem ita declarasse contra apertam Tridentini mentem.

« Nota II. Non solum hos concubinarios prædictis pœnis obnoxios esse, sed etiam simplici incontinentia cum hujusmodi fœminis notatos, sine qualitate concubinati; Tridentinum enim utitur verbis disjunctivis « qui cum concubinis, aut aliis mulieribus de quibus haberi possit suspicio, ullam consuetudinem habere audeant.... »

« Nota III. Ad incurrendas prædictas pœnas non requiri notorietatem concubinati et incontinentiæ, cum absolute statuta sint contra clericos, similes fœminas retinentes, et de quacumque muliere crimine fornicationis suspectos. Requirit tamen præviam monitionem et quidem specialem, non generalem per edictum; et hæc debet esse trina, vel una pro tribus; non tamen trina ante inflictionem singularum pœnarum a Tridentino statutarum, ut contra dictum Garciam probat Amœnus loc. cit. « Etenim, ait, verum est quod ad hoc ut clericus concubinarius privetur suis beneficiis, debet ter personaliter moneri, non tamen necessarium est quod tali modo moneatur, si infligenda est minor pœna quam sit privatio beneficii: etenim Concilium aperte ait quod, si moniti primo non resipiscant, amittent tertiam partem fructuum; si post secundam monitionem adhuc perseverent, fructus ex integro amittant, et post tertiam priventur beneficiis. Somnium est quod singulæ monitiones debeant esse trinæ, quia hoc modo secunda monitio evaderet quarta, et tertia esset septima, quod est inauditum. »

« Nota IV. Pœnam privationis fructuum a Tridentino impositam, quamvis sit lata sententiæ, non obligare in foro conscientiæ ante declarationem, Thesaurus, *de Pœnis ecclesiast.* cap. vi. §. *Concubinatus*.

« Nota V. Onus admonitionis faciendæ episcopo, concubinatus reo, a concilio provinciali, juxta præscriptum Tridentini, et respective denuntiatio- nis

faciendæ Summo Pontifici in casu insordescentiæ in concubinato, cum hodie concilium provinciale vel rari admodum vel nunquam, justis de causis, non celebretur, crederem idem onus spectare ad metropolitanum. (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.* part. I, sect. 332.) »

ADNOTATIO XLI.

Lib. III. Tit. III. De clericis conjugatis, § I, n. 8, p. 409.

DE CLERICIS CONJUGATIS APUD GÆCOS.

Docet auctor noster clericis conjugatis apud Græcos id solum permissum esse scilicet uxore, quam virginem in ordinibus minoribus constituti duxerunt, postea in majoribus adhuc uti. Huc spectat constitutio Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, in qua pœna infliguntur contra Græcos in sacris constitutos, mortua uxore, aliam post sacram ordinationem ducentes, vel, si antea uxorati non fuerint, uxorem ducere præsumentes.

ADNOTATIO XLII.

Lib. III. Tit. III, § I, n. 12, p. 410.

DE CLERICIS MINORISTIS MATRIMONIUM CONTRAHENTIBUS.

« Quamvis ex verbis cap. *Si cui clericorum*, hoc titulo, appareat pœnam esse ferendam sententiæ communis tamen canonistarum interpretatio est clericus minorista, per matrimonium contractum dummodo validum fuerit, ipso facto privatus sit beneficiis et ecclesiasticis pensionibus, teneaturque ea dimittere ante omnem declarationem, et fructus postea perceptos restituere; Thesaurus, *De pœn. eccl.* cap. iv, §. *Apostasia*, n. 5, quam privationem ipso facto incurrendam idem Thesaurus ex cap. 10, *Ut consultationi*, hoc eod. titulo, cum doctoribus ibi citatis, extendit etiam ad minoristam assu mentem statum incompatibilem cum clericatu, puta militarem.

« Ex constitutione Sixti V, *Cum sacrosanctum* 9 januarii 1589, minoristæ nedom matrimonium contrahentes, vel statum incompatibilem cum clericatu assumptos sed etiam habitum clericalem demtaxat demittentes incurreunt ipso facto pœnam privationis tam beneficiorum quam extinctionis pensionum, etiam eorum conscientiam animalverit liberos Thesaurus quod, juxta aliquos, non esse usque ad hunc rigorem usu receptam; juxta alios requirit monitionem et contumaciam; et verius putat requiri declaratoriam pro foro conscientiæ.

« Imo non desunt doctores asserentes privationem beneficii induci ipso jure per matrimonium nulliter contractum, quia ex intentione clericorum contrahentium matrimonium assumptus est status incompatibilis; adeoque, juris interpretatione, be-

neficio ipso facto renuntiatum intelligitur, arg. cap. *Nuper 4, De bigamis*, ubi propter affectum, seu intentionem cum opere subsecuto, quis inter bigamos reputatur. Hujus sententiæ sunt Abbas, Lessius, Garcias, qui ulterius testantur hanc esse communem: quam sequitur etiam Barbosa in hoc cap. et *Allegat.* LVII, n. 270, qui tamen recte limitat in casu quo matrimonium nullum esset ex defectu consensus, cum tunc non esset præsumptio tacitæ renuntiationis. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 336.)

ADNOTATIO XLIII.

Lib. III. Tit. III, § II, n. 29, pag. 413.

DE CLERICIS CONJUGATIS QUOAD CANONIS ET FORI PRIVILEGIUM.

Audiat ea de re Fagnanus in cap. *Joannes*, hoc titulo: « Nota clericum conjugatum non gaudere clericali privilegio, licet habitum et tonsuram deferat, ut hic est expressum, et notat Bernardus post casum, et Joan. Andr. n. 8. §. *Item quod conjugatus*. Sed cave ne decipiaris, quia per constitutionem Bonifacii VIII, in cap. unico, eod. tit. in 6. innovatam a Concilio Tridentino, cap. 6 in fine sess. XXIII, clerici non bigami gaudent duobus tantum privilegiis videlicet canonis, *Si quis suadente* 17, quæst. IV, et fori, ne scilicet pro commissis excessibus trahi possint criminaliter ac civiliter ad judicium sæculare; ad hoc tamen ex dicto cap. unico requiritur ut tonsuram et vestes deferant clericales, et ex dicto cap. 6 et quoad fori privilegium, præter habitum et tonsuram, requiritur etiam ut alicui ecclesiæ inservant. Dixi quoad fori privilegium, quia quoad privilegium canonis, decretum Concilii nihil novi statuit, ut alias fuit resolutum. Quare licet hodie non cogantur deferre tonsuram præcise, coguntur tamen causative, id est, si velint canonis et fori privilegio potiri, ut hic per Abb. n. 7, §. *Et conclude latius*; quia sine tonsura et habitu non retinent privilegium canonis, et sine tonsura, habitu et servitio non retinent privilegium fori. Dum ergo decretalis *Joannes* dicit clericum conjugatum, etiam tonsuratum, non gaudere clericali privilegio non intelligas tu de prædictis duobus privilegiis, sed de reliquis privilegiis ecclesiasticis, quæ clericus conjugatus perdidit ipso facto, ut in dicto cap. unico §. *In cæteris*, et ibi notat Glossa communiter approbata; neque ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii, nam ex contrario actu hæc privilegia amittuntur. Et ita limitant et intelligunt hunc textum Glossa, Abbas, Hostiensis et alii communiter. »

« Cum autem, inquit Giraldus, in dicta decretali *Joannes* addat Pontifex exceptionem, clericum videlicet conjugatum non esse cogendum ad delationem habitus et tonsuræ, dummodo nullum percipiat beneficium ecclesiasticum, videtur declarare

dari posse clerico conjugato beneficium in titulum contra dispositionem omnium supra allatarum decretalium. Verum hæc exceptio intelligenda est, si beneficium possideat ex dispensatione Papæ, ut Glossa hic et canonistæ communiter. (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 342.) »

ADNOTATIO XLIV.

Lib. III. Tit. IV, De clericis non residentibus in ecclesia vel præbenda, § IV, n. 110, pag. 441.

AN LICEAT CANONICIS CHORO TANTUM BEVERENTIALITER ADSISTERE, PRIVATIM HORAS CANONICAS RECITARE, ET MUSICIS VEL CAPELLANIS RELINQUERE CANTUM?

Respondendum negative adversus auctorem nostrum. Qui submissa et non alta voce simul cum aliis psallunt, non lucrantur distributiones; et non eis suffragatur quæcumque contraria consuetudo, ut sæpius declaravit Sacra Congregatio Concilii, 12 januar. 1619, lib. XII *Decret.* pag. 7) per hæc verba: « S. Congregatio sæpius respondit canonicos in choro teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et in causa Vicen. proposita die 7 junii 1626, lib. XV *Decretor.* pag. 565 a tergo, S. Congregatio respondit: « Canonicos in choro alta voce non psallentes distributiones quotidianas non lucrari, quavis consuetudine non obstante. »

Quibus declarationibus accessit etiam declaratio Benedicti XIV, constit. *Cum semper*, ad universos Italiæ ordinarios, 19 aug. 1744 directa, § 24 ibi: « Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse ut se munus sum satis implere contendant, dum choro præsentibus assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis incantant se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab eisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaris aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum privilegia. At cum synodus Tridentina, sess. XXIV cap. 12, loquens de dignitatibus et canonicis qui choro interesse debent, unum ex eorum officis esse dicat « in choro ad psallendum instituto, hymnis » et canticis Dei nomen reverenter, distincte devote teque laudare, » cumque pauca omnino sint capitula in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplina paucos illos adversari dignoscatur; cum insuper opinio illa nunquam, in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita, examinata sit quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam Ecclesiarum patriarchalium hujus nostre Urbis super hoc instantibus; cum denique idem judicium prolatum reperiat a pluribus conciliis provincialibus, ab hac etiam apostolica Sede approbatis et confirmatis, nihil jam esse reliquam vi-

detur quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasam habeant unius vel alterius ecclesiae canonici se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistantiam absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apostolicum, non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. » Hoc documentum refert Giralduus, *Exposit. jur. pontif. part. I. sect. 608.*

Insuper idem Benedictus XIV, in brevi sub die 19 januar. 1748 ad capitulum Veronensis Ecclesiae directo, scribit illa quae sequuntur: « Porro nolumus, inter tot tantaque privilegia eidem capitulo et canonicis concessa numerandum esse illud quod, quemadmodum tibi aequae ac nobis notum est, antiqua traditione contra sacrorum canonum sanctiones ac nostram praesertim constitutionem cujus initium est: *Cum semper oblatas*, invecum ab ipsis canonicis non modo contenditur sed etiam servatur, interressendi dumtaxat choro et cum caeteris mansionariis, cappellanis, acolythis et clericis canentibus psallentibusque assistendi, nunquam vero cum iisdem canendi psallendive, etsi nonnullos eorundem esse accepimus qui aliter sentientes a conscientiae angoribus agitantur, ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment. Itaque a te, dilecte fili noster (Patriarcha Aqueleiensis) poscimus et flagitamus ut non solum hujusmodi et abusum et corruptelam ab ecclesiastica disciplina alienam, et canonicis ordinationibus ac nostrae quoque constitutioni contrariam, penitus evehere et eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter fortiterque admoneas et hortaris ut, in posterum, ea qua decet et tenentur reverentia choro intersint assistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia, omnino canere vel psallere cum caeteris studenteant et contendant. Deinde edicas et notum facias nos, quemadmodum per hasce nostras in forma brevis litteras tibi declaramus et injungimus, decernere et statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos, choro quidem interessentes adsistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex praebendis et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse et fore. Verum cum iis qui, hac super re, conscientiae stimulis acti, ad te confugerint, benigne indulgentes, tibi facultatem tribuimus et impertimur ut, sive per te ipsum, sive per alios a te deputandos, unusquisque canonicus qui se in canendo psallendove in choro cum aliis defecisse animadvertit, dummodo promittat se deinceps omnino curaturum ut in choro et praesens adsistat, et cum aliis canat psallatque, absolutionem a culpa et super omnibus fructibus indebite perceptis dispensatio-

nem obtinere possit et valeat. Caeterum volumus et mandamus ut nulli eorundem canonicorum, qui, licet praesens in choro adsistat, tamen minime canit psallitve, suffragentur hujusmodi indulta ac privilegia quae unicuique moderno ac pro tempore existenti canonico, ad tuorum meritorum intuitum, per easdem praesentes litteras concedimus et elargimur. »

Inter privilegia dictis canonicis concessa reperimus usum palmatae vulgo *bugia* ad instar episcoporum, tam in missis privatis quam in solemnibus cum cantu, sive in sua, sive in aliis ipsius civitatis et diocesis Veronensis, atque aliarum etiam diocesis ecclesiis.

Quoad autem musicam, audiatur Innocentius XII, in decreto 20 aug. 1692, cujus analysim praebet laudatus Benedictus XIV, litteris encyclicis *Annus qui*, 17 februar. 1749, his scilicet verbis: « In eo (decreto) autem, offusis variarum interpretationum (circa constit. Alexandri VII, *Piae sollicitudinis* 1657, et decretum ven. Innocentii XI, 3 dec. 1678) tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit. In sacrarum autem missarum solemnibus solummodo permisit, ultra cantum Gloriam et Symboli, cani posse introitus, graduale, et offertorium; in vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, antiphonae, quae initio cujusque psalmi vel in ejus fine dicuntur. Insuper voluit et jussit ut cantores musici omnino legem chori sequerentur et cum eo prorsus convenirent; quemadmodum in choro fas non est aliquid addere officio vel missae, ita etiam musicis noluit id licere; et illud dumtaxat concessit ut ex officio et missa, quae in solemnitate sanctissimi sacramenti corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel antiphonis, aliisque relatis in breviario et missali romano, carmen aliquod seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset, ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra hostia elevatur, vel publice veneranda et colenda exhibetur. »

Porro, si musici et cantores possint tantum in musica recitare antiphonas in vesperis, et debeant omnino sequi legem chori et cum eo prorsus convenire, a fortiori choro ipsi et canonicis silentium imponere, et textibus gregorianis psalmisque juxta modos Gregorianos cantandis substituere cantilenas, iisdem licet textibus aut psalmis adaptas, nequeunt.

ADNOTATIO XLV.

Lib. III. Tit. IV. § IV, n. 133, pag. 446.

DE MODO PROCEDENDI CONTRA NON RESIDENTES.

« Hodie in privatione beneficii, respectu obtinentium dignitates, canonicatus, vel portiones in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, omnino servan-

dos est ordo a Tridentino prescriptus, sess. XXIV, cap. 12, *de Reform.* Is igitur est ut primo anno absentes ultra tres menses priventur dimidia parte fructuum quos, ratione etiam praebendae ac residentiae fecerunt suos; secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni; ac demum, crescente contumacia ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint et debeant, juxta SS. canonum sanctiones, ipso beneficio seu praebenda.

« Qui poenarum gradus, antequam deveniatur ad privationem, ita necessario servandi sunt ut, eis non servatis, nulla sit sententia, prout pluries sensit Concilium declaravit etiam pluries S. Congregatio Concilii signanter 14 januar. et 25 februar. 1741 in *thesauro Resolut.* tom. X, pag. 9 et 17.

« Praeter has declarationes, attendenda sunt etiam notata a Fagnano in cap. 11. *Ex tuae*, n. 14, et cap. 32, *de Praebendis*, n. 26, circa dictam nullitatem, in quibus refert reprehensum fuisse a sacra Congregatione episcopum Tarentinum eo quod comminatus fuerit canonico, jam decem et octo menses absenti, poenam privationis, si intra mensem non resedisset; a qua etiam declaratum fuisse testatur expectandum esse lapsum trium annorum, antequam ad privationem in totum procedatur.

« Ino si ignoraretur ubi sint, non satis est lapsus trium annorum, sed, transacto tertio, citandi sunt tria citationis edicto ad valvas ecclesiae, et postea expectandi per sex menses, antequam ad privationis sententiam deveniatur, juxta formam praescriptam in cit. cap. *Ex tuae*, quam Tridentinum non immutavit, ut ibidem notat laudatus Fagnanus n. 25.

« Non tamen interdictum est episcopo, etiam pendente ipso triennio, contra non residentes procedere praeviis citationibus, illosque suspendere, et excommunicare; licet inchoata sit via iudicii a Tridentino prescripta, juxta SS. canonum dispositionem cit. cap. *Ex tuae*, § *Contra eos*; tunc tamen devenire non poterit ad sententiam privationis, ut declaravit eadem Congregatio in *Palentina* 18 nov. 1673, lib. II, *Decretor.* pag. 393, ac *Instit. eccles.* CVII Benedicti XIV, non obstante quod, in dicto § *Contra eos*, sermo sit de praelatis ecclesiarum non residentibus, ut ibi Glossa verbo *Ipsos*...

« Praedictus autem ordo procedendi ad privationem beneficii, a Tridentino ut supra praescriptus, minime servandus est contra habentes beneficia curata non residentes, sed statim procedi potest per censuras simul et sequestrationem ac subtractionem fructuum, atque jur's remedia, quemadmodum praescribit idem Tridentinum, sess. XXII, cap. 4, § *Quod si*, juxta cap. 4, sess. VI, *de reform.* ea protissimum ratione quia, ut optime animadvertit Zypaeus, *De jure novo*, hoc eodem titulo, n. 15, cura annuarum mox ex mora periculum habet. Quod autem contra hos ita procedi possit, declaravit etiam Sacra Congregatio Concilii in *Gerunden.* 26 april. 1621, dummodo tria edicta publica pra-

cesserint, et ipsi fuerint sex menses ad praescriptum constitutionis Innocentii III cap. *Ex tuae*, hoc titulo.

« Cumque quaesitum fuisset an episcopus, praemissis dictis tribus monitionibus pro revocandis parochis ad residentiam, posset procedere ad privationem parochiae, et sic an verba illa Tridentini « etiam usque ad privationem, » intelligerentur inclusive vel exclusive, eadem Congregatio, 8 junii 1624, sensit « intelligenda esse inclusive, dummodo » praecesserint tria edicta publica, et lapsi sint sex » menses, juxta cap. *Ex tuae*, *De Clericis non residentibus.* » (Giralduus, *Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 354.*)

ADNOTATIO XLVI.

Lib. III. Tit. IV. § IV, n. 165, pag. 452.

NON LICET CANONICIS ABESSE ULTRA TRES MENSES SUB PRÆTEXTU QUOD DECRETUM TRIDENTINUM NON SIT USU RECEPTUM.

Auctor noster cap. 12 *de reform.* sess. XXIV. Concilii Tridentini fideliter equidem refert, atque notat cum Fagnano et Garcia, ex sententia Sacrae Congregationis, sublatam fuisse consuetudinem etiam immemorabilem secundum quam, quavis de causa, et ultra tres menses, quolibet anno canonicis abesse licuerat; sed addit aliquos canonicos, inter quos Pirhing et Sannig, docere constitutionem Concilii Tridentini in multis locis, ac praesertim Germaniae ecclesiis, non fuisse usu receptam.

Quidquid senserint ea de re praefati canonicos, certissimum est eos esse deserendos, tum ex principiis ab ipsomet auctore nostro allatis, ubi de acceptatione legum, lib. I, tit. II, § VI, vol. I. p. 133; tum ex rationibus sub Adnotationibus XII et XVI vol. I. expositis; tum denique ex auctoritate Benedicti XIV, supra Adnotat. XLIV citati. Etenim si canonici non psallentes in choro cum aliis fructus non faciant suos, quacumque consuetudine sublata quae corruptela declaratur, a fortiori non residentes et ultra tres menses abessentes.

ADNOTATIO XLVII.

Lib. III. Tit. IV. § VII, n. 215, p. 465.

AN CANONICI ET PAROCHI VACANTES EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ABSOLVANTUR A RESIDENTIA?

Respondendum affirmative saltem pro regionibus Italiae et insularum adjacentium, et pro regnis regi catholico subditis. Litterae in encyclicae, a Sacra Congregatione concilii anno 1710 ad episcopos missae, jussu Clementis XI, sic se habent:

« Reverendissime Domine uti Frater. Inter gravissimas pastoralis officii curas, quibus Sanctissimus Dominus noster assidue premitur, in eam praecipuo studio incumbit ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, praesertim vero sacerdotes et